DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA, (*)

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-quintâ mensis Februarii, anno Domini MDCC. LXXVII.

M. BENJAMINO-MICHAELE SOLIER DE LA ROMILLAIS, Anatomes & Artis Obstetriciæ in Gratiam Matronarum Professore, M. MICHAELIS-JOSEPHI MAJAULT, Antiqui Regis Exercituum in Germaniâ Medici, vices gerente, Doctore Medico, Præside.

An Liticinibus, Cornicinibus, Tibicinibus & id genus cæteris Pithaulis & Choraulis, Οἰνοποσία?

I.

INTER hygieistas Medicos, trahit sua quemque voluptas. Quibus supparasitari placet, ii aurea divitum lacunaria subeuntes, magnatum valetudinem hygieines præceptis temperant. Quos juvant ambitiosa fastus & luxus instrumenta, illis cordi est aurifabrorum omniumque ejusdem farinæ opificum sanitas. Alii curant alia. Quisque pro suo voto scribit. Nos vero qui musica rapimur, qui mollibus & festivis delectamur cantibus, queis unicum rebus in adversis solatium subministrant amabiles concentus chordisque socianda verba, hoc munus hodie suscipimus, ut qua ratione musicorum vitam a morbis vindicare queat Bromius pater, paucis exaremus. Musicen in tres partes vocalem nempe, instrumentalem & mixtam dispescere, hic animum non subit. Istud enim oneris multi sibi jampridem imposuerunt. Nolumus itaque post tot Homeros Iliadas scribere, ne noctuas Athenas mittere videamur. Quiddam tantummodo narrare lubet de symphoniacis, utpote qui ad nostram questionem strictiori vinculo pertinent. Animo igitur concipiatis choros omni generis musicorum, quos excipiunt atria vastissima columnis ad singulos angulos quadrifariam collocatis & culmen ovale-elipticum fulcientibus. Aulæis diversimode figuratis, vel peristromatibus Campanicis, vel tapetiis Alexandrinis, aut centunculis varie depictis non conteguntur parietes; sed tabulatis miro quodam artificio inter se junctis, nunc in orbem rotatim flexuosis, nunc in obliquam seriem dispositis, & in concavum patorem depressis, & in convexum toreuma prominentibus. Erecta stant pulpita, distribuuntur unicuique suæ partes. Jam Mesochorus scabillorum crepitu signum modumque canendi intonat. Stant cuncti arrectis auribus, unoque ictu, una expiratione, dulcia sonant vocum modulamina, inflantur tibiæ, mugiunt æra, pulsantur tympana, animantur multiforatiles buxi, plectris excitantur clavicordia, lyræ, chelides, cytharæ. Omnia in unum coeunt, miscentur acutis, gravia; citis, tarda; fortioribus, debiliora; & pellibus, ebora; & flatibus, nervi;

(*) *M. E. C. BOURRU, Auctore, 1765.*

& bombi, fufurris. Interea tamen animos auditorum capeffit fibique in æternum devincit Harmonia, diva illa rerum potens, fine qua,

> Nec quidquam dias in luminis oras
> Exoritur; neque fit lætum nec amabile quidquam.

Audiatis nunc quibus periculis iftud paretur melos, quantis muficorum incommodis præftinetur ifta voluptas. Symphoniacis infidiantur hæmophthyfes, phthyfes, pleuritides, peripneumoniæ cæteræque thoracis affectiones : & fuperius adhucdum variæ profapiei herniæ. Queis tamen facturas omnibus inducias meri epotationes ita confidimus, ut pro ifta [illegible] hac die difputare neutiquam dubitaverimus.

I I.

MORBORUM fupra recenfitorum originem, ex varia fibrarum textura five laxiori five debiliori repetere, effet ab ovo Ledæ ordiri bellum Trojanum. Caufæ illæ procatarticæ omnibus innotefcunt ; ad proximas itaque devenimus. Antequam tamen longius progrediamur, ne extra propofiti noftri fines evagemur, non abs re erit animadvertere nos hic præfertim agere de eo genere fymphoniacorum, qui in canendo manus difcapedinantes, pulmonalibus auris lotum refonare cogunt. Tali autem mechanifmo perficitur ifte cantus. Aër intra pulmonis cavum attrahitur. Illud vifcus quantum potis eft diftenditur. Jam nunc glottis non coarctatur, ficuti folemne eft in cantoribus, fed folummodo labia & prolabia quæ in rimam eo an-[illegible]n, cedunt, quo acutior debet effe tonus. Interea fibræ pulmonales aëre turgidæ, infra cogunt diaphragma, quod in abdomine repulfum ibi hemifpheriæ fpeciem refert. Vifcera abdominalia verfus mufculos & pelvim retro pelluntur & omni ope foras exire fatagunt, utpote ab omni parte compreffa. Undique tamen aditu intercluduntur, nifi qua conceditur exitus forinis fpermaticis & vafis fanguiferis quibus alluuntur extrema inferiora. Hac igitur omnes diriguntur conatus. Fores iftas ex fummis viribus irruunt & perftrepunt incarcerata vifcera : & magis magifque cumulatione virium crebrius infultatæ januæ, exitum tandem denegare fiunt indociles. Ceditur : & prout variæ partes variis portis exeunt, oriuntur diverfi generis herniæ. Alia vero ex parte lobulis pulmonum aëre diftenfis, diftenduntur etiam & vafa pulmonalia, quæ fi rigidioribus & debilioribus fimul conftent fibris, difrumpuntur; fin minus, ita relaxantur mæandri, ut exfudationis fanguineæ anfa præbeatur. Inde fputationes cruentas & cætera oriri mala, quis nefciat?

I I I.

LUGENDA fane veftra conditio, liticines, cornicines, tibicines ! grato lenocinio amaros hominum mœrores permulcere fatagitis, ipforum aures grato fufurro aucupare tentatis, & hæc vobis ftat pro mercede pœna. Veftri tamen idcirco ne molliantur animi. Præfto vobis adeft medicina hygieiftes, contra tot & tantas ægritudines afferens robur & æs triplex. Quin imo macti efte virtute. De veftra valetudine curare ipfa non dedignatur benigna hominum parens natura. En ecce vobis paratur de quodam arbufculo liquor amœnus. Vobis hygieine propinat auxilium. Defluit e torculari roris falutiferi rivulus. Caveatis tantummodo ne quod vobis offertur medicamentum, nimietate vertatis in veftram perniciem. Pro certo enim habeatis, quantum boni afferunt modicæ vini epotationes, tantum etiam advocare malorum infolentes & effrænas liberi intemperantias.

> Οἶνόν τοι πίνειν πουλὺν, κακόν, ἢν δέ τις αὐτὸν
> Πίνῃ ἐπιςαμένως, ȣ̓ κακὸς ἀλλ' ἀγαθός.

Saturnalia itaque vobis suademus, non Orgia. Illos haustus proponimus, quibus laxa & debilis fibrarum textura possit in dies paulisper & quantum satis est indurari, nec plus ultra. Illos potus celebramus, quibus hæmophthysibus, phthysibus, pleuritidibus, peripneumoniis, &c. necti queant remoræ. Illas tandem sorbitiones commendamus, quibus herniis & cæteris pithaulorum & choraularum incommodis a tibiarum usu adventantibus, obsistatur.

I V.

IN his autem præcavendis affectionibus utramque paginam efficere meri epotationes, ultro contendimus. Quæ ut fibras roborant, ita etiam fluida sic diluunt, ut ingurgitationibus obstent. Idcirco etiam vini Generosi epotatio θώρηξις audit Hippocrati, quippe quæ thoracem quodam quasi scuto tegit & loricat. Ideo etiam in cunctis fere pectoris affectibus, commendatur meracioris vini potus apud Divum Senem, Galenum, Aretæum cæterosque veteris Scholæ Magistros: quibus suffragantur non pauci ex Neotericis, neque infimioris subsellii. Quod vero vinum thoracis debilitati adeo potenter obsistit, idem etiam non male arcesseretur veluti propugnaculum adversus hernias illas quæ liticines, cornicines, tibicines, pithaulas & choraulas tam pertinaciter obsident. Istæ enim ægritudines eæ προφυλάξει morem gerere cogentur, quæ fibris calcar addet, oscillationes reddet vegetiores, partes ad debitum restituet tonum. Dotibus autem istis pollere Bacchi munera (*) nullus, ut opinor inficiari poterit. Agite ergo tibiarum mellei modulatores, tubarum periti modificatores, Flacci consilia sequimini atque benignius depromite quadrimum Sabina merum diota. Apage Pharmacopœum; accedat Oinopola. Lecythi, fasciæ, loricæ abeant in malam rem; præstant cadi, lagenæ, cyathuli. Ὑδροποσίαν seponite; confugite ad θώρηξιν veluti ad sacram anchoram. Sicque Nestoreos ducentes annos, omni vacantes periculo, vos jam tute licebit & cantus Lydios dulciter, & Æolios simpliciter, & Jasios varie & Phrygios relligiose, & Doricos bellicose consonare, canere, modulari (**).

(*) Nos tædet rationes apponere, cur usu meri fibris robur accedat. Tædet enim jam sexcenties ab Auctoribus enarrata totiesque recusa, hic iterum repetere. Sunt quibus hæc placent, ut ita dicam, minutalia. Neque id nos fugit. Sed talia nobis displicent. Qui ergo hæc noscere cupient, adeant *Van-Swieten* in *Aphor. Boerhaav.* de fibræ debilis & laxæ. Et qui plura de vini dotibus scire exoptabunt, consulant *Andr. Baccium* de vinis. Ibi volupe perlegere poterunt quinam erat vinorum usus apud veteres clinicos, tum in præcavendis, tum in sanandis morbis de quibus supra.

(**) Quam in hodierna disputatione proponimus cautio, non modo rationibus evincitur, verum etiam & usu. Neque alia prorsus enim ratione, nisi quia a [illegible] conduci:, id genus symphoniacorum habent sibi ingenitam epotandi libidinem, quæ ab omni ævo semper eos torsit, uti ex Poëtarum veterum fragmentis autumandum est. Martialis *Epig. lib.* 14.

> Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis.

Plautus in Mostellaria, *Act.* 3. *sc.* 2.

> S ɪ ᴍ. Musice hercle agitis ætatem: ita ut vos decet.
> Vino & victu, piscatu probo, electili,
> Vitam colitis.

Idem in Sticho, *Act.* 5. *sc.* 4.

> S ᴀ ɢ. . . . .
> Bibe tibicen, age si quid agis, bibendum hercle hoc est, ne nega.
> Quid hoc fastidis, quod faciundum vides esse tibi? quin bibis?

V.

QUIDQUID impræſentiarum de Liberi virtutibus dixerimus, non certe deerunt qui poſtliminio obganniant ὑδροποσίαν tibicinibus aptiorem eſſe οἰνοποσία, cum nempe poſt cantus frequenter repetitos, arentes & aridæ cantorum fauces, anteſignanos inflammationum gutturis affectus denotent: quoi igni adderetur oleum, ſi vini epotatio tunc temporis preſcriberetur. Meræ næniæ, meræ nugæ, iſtæ objectiones. Operam profecto luderent qui talia oggererent. Quaſi ſi ægritudines iſtæ ex vaſculorum debilitate non ducerent natalitia: cui debilitati medelam certe non ignavam afferunt meri potus, dum fibras roborant, ſicque motus circulationis in his partibus effœtos ac pene ſufflaminatos reſtituunt. Aliquid inſuper addemus. Quodnam, quæſumus, ceraulis accederet acumen ingenii, quænam nervei laticis agilitas, quæ digitorum flexilitas & docilitas, ſi per totum vitæ dumetis refertæ ſtadium, pernicem aqua ſitim ſedare tentarent? Num quemdam lateret iſtud Horatianum:

Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus?

Fertur etiam Belgicum quemdam eximium cereviſiæ potatorem, chelim plectere aliunde ſatis gnarum, indelenda tamen quondam tabe famam ſuam maculaſſe, dum in concentu publico, muſicorum noſtratum æmulus vellet haberi; adeo ut cuncti exclamarent auditores, illius cantus redolere lupulum. Iſtud fortaſſe dedecoris ſibi peperciſſet bellulus ille zythipota, ſi craſſiori abjecto potu, à teneris unguiculis vinum largius deprompſiſſet. Nemo ergo jam cogat ceraulas ſitim aqua levare; ſed melius: ſtatim atque perſonuerunt, caupones adeant, ibique potus inter & ſcyphos, quantum inter canendum conſumpſerunt iterum atque iterum expirando laticem, tantum epotando reficiant; ut deinde animo alacres, corpore vegeti, experientia ſua noſtram confirmare queant propoſitionem,

Ergo Liticinibus, Cornicinibus, Tibicinibus & id genus cæteris Pithaulis & Choraulis, Οἰνοποσία.

Age ſi quid agis: accipe, inquam, non impedit hoc publicum.
Haud tuum iſtuc eſt te vereri: eripe ex ore tibias.

Et infra.

Age tibicen, quando bibiſti, refer ad labia tibias.

Eadem etiam Comœdia, eodem Act. *ſc.* 5.

STE. Siquidem mihi ſaltandum eſt, tum vos date, bibat, tibicini.
STI. Et quidem nobis. SAG. Tene, tibicen, primum: *&c.*

Similia paſſim reperiuntur in cæterorum carminibus, quæ hic afferre vetant anguſti paginæ cancelli.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS-CAROLUS HALLOT, Lingonenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1777, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1777.